DE METRORRHAGIIS IN QUINTA PARTUS PERIODO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA

GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT ET DIE XVIII. AUGUSTI MDCCCXXXVI

PUBLICE DEFENDET

NICOLAUS KESSELKAUL,

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

GUIL. KUEPPER, Med. et Chir. Cand.

PHIL. SCHAEFER, Med. et Chir. Cand.

IOS. SCHWANN, Med. et Chir. Dr.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXVI.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41544719_0257

VIRO ILLUSTRISSIMO

HERM. FRID. KILIAN,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORDIN., MODERATORI XENODOCHII OBSTETRICII BONNENSIS, PLUR. SOCIET. LITTER. SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE METRORRHAGIIS IN QUINTA PARTUS PERIODO.

Quivis partus in quinta periodo cum sanguinis e vagina fluxu coniunctus est, cuius copia valde variat, qui autem fluxus normalis nequaquam metrorrhagia est nominandus, quo nomine tum demum appellandus est, quando valetudinem mulieris afficit atque vires debilitat. Multis autem ex causis profluvium sanguinis oriri potest. Priusquam autem ad ipsam haemorrhagiae dispositionem transeamus, nobis liceat, aliquid de placentae cum utero coniunctione praemittere.

De placentae cum utero coniunctione.

John Hunter 1) ex explorationibus atque iniectionibus, quas fecerat, concludit, arterias, quae ad enutriendum uterum non pertineant, ad placentam ire, et, quum obliquiter inter placentam uterumque progrediantur, tunicam deciduam perforantes in substantiam cellulosam placentae intrare

---

1) Observations on certain Parts of the Animal Oeconomy, by John Hunter 1786 p. 127.

venas autem, quae sanguinem e placenta reducant, hac in substantia cellulosa tam amplis luminibus originem habere, ut haec lumina amplitudinem venarum ipsarum multo superent; quas autem venas iterum tunicam deciduam perforantes ad uterum progredire et in substantia eius cum venis uteri propriis directe communicare. Etiam Will. Hunter 2) hanc substantiam cellulosam describit, in qua arteriae finiant et ex qua venae oriantur. Robert Lee 3) autem se multas fecisse explorationes, sed nunquam has cellulas neque coniunctionem earum cum utero per arterias aut venas vidisse refert, atque hoc modo coniunctionem placentae cum utero describit: „Si uterum gravidum eo in loco, quo placenta est inserta, persecueris, invenies, membranam deciduam superficiem internam inducere multaque parva vasa atque fibras ex interna uteri superficie ad tunicam deciduam transire. In placentae circumferentia tunica decidua a Chorio et Amnio se disiungit superficiem placentae uterinalem obtegens, superficies autem foetalis a Chorio et Amnio obducitur, atque inter easdem tunicas ramificationes vasorum umbilicalium iacent. Si igitur placentam caute ab utero solveris, membranam deciduam tam arcte cum vasis umbilicalibus coniunctam invenies, ut eam sine vasorum ruptione removere non possis. Placenta ipsa cum fundo aut alia uteri parte multis fibris flocculosis atque parvis vasis coniuncta est, nunquam autem transitus maioris cuiusdam vasis, neque arteriae, neque venae, per membranam deciduam obtegentem videre licet, neque etiam ostium vasis in superficie placentae uterinali animadvertes. Membrana decidua hoc in

---

2) Anatomical Description of the Gravid uterus and its contents, by the late Will. Hunter. London 1794 p. 48.

3) Untersuchungen über das Wesen und die Behandlung einiger der wichtigsten Krankheiten der Wöchnerinnen, von Robert Lee, a. d. Engl. von Dr. C. Schneemann II. Th. cap. I.

latere a placenta remota, magna se ostendit vasorum implicatorum copia, quorum textura valde tenuis atque facile laedenda, cellulas autem invenire non licet.

In eodem uteri loco, quo placenta fuit inserta, magna luminum copia adest, quae obliquiter per tunicam uteri internam ducunt atque tam ampla sunt, ut apicem digiti minimi introducere possis, margines eorum rotundati sunt neque ullum ruptionis praebent vestigium. Quae lumina a placenta ita obteguntur, ut sanguis maternus neque in cavitatem uteri neque in placentae substantiam possit intrare.

Novissimis demum temporibus E. H. Weber 4) experimentis coniunctionem inter placentam et uterum clare ostendit atque ita descripsit. Placenta constat e parte uterinali et foetali, pars uterinalis est illa tunicae deciduae verae pars, quae placentae adiacet et in quam flocculi partis foetalis non procedunt. In eandem autem partem ex utero multas atque magnas arterias venasque obliquiter intrare ostendit; quae vero vasa ex tunicis istis, quibus cetera corporis vasa praedita sunt, internam solummodo habent. Venae ipsae eo ampliores sunt, quo profundius inter lobulos partis foetalis placentae intrant atque retiformia inter se communicant. Pars placentae foetalis ex multis arboris specimen praebentibus chorii flocculis constat, quae in amplas matris sanguine impletas venas intrant. Pars foetalis nempe multos in lobulos, cotyledones sic dictas, est divisa. Ad quemque lobulum ramus magnus arteriae atque venae umbilicalis progreditur et in eo multos in ramulos dividitur. Hi lobuli autem non per foramina in venas partis uterinalis intrant, sed tunicam internam venarum valde tenuem replicant et haec pars replicata villum obducit, neque arteriae in villis

---

4) Hildebrandt's Handbuch der Anatomie. h. v. Dr. E. H. Weber, IV Bd. p. 495. seq.

habent aperturam, sed directe in venas transeunt, quo fit, ut circulus sanguinis foetalis ab eo matris ita sit seiunctus, ut sanguis ex uteri vasis in ea foetus transire nequeat, sed foetalis sanguis cum materno per imbibitionem sic dictam solummodo communicari possit.

Postquam uterus vi sive propria sive aliena contenta sua edidit, altus etiam culturae vitaeque eius gradus, quem adeptus est, diminuitur. Fibrae condensantur, vasa eius extensa pristinam formam induunt, totumque organon quasi requiescit, ut integratis viribus conceptioni iterum inserviat. Talis vero regressus paullatim tantum fieri potest, et perpetua vi contractiva re vera perducitur. Licet illae contractiones iis, quae ovum in lucem protulerunt, nequaquam comparandae sint, vasa tamen dilacerata, placenta et ovo solutis eo gradu occludere valent, ut principio haemorrhagia parca, lochia scilicet rubra, per plures dies sine matris periculo perseveret et postea diminuta vasorum actione omnino desinat. Saepe vero uteri fibrae prorsus non contrahuntur, immo etiam fieri potest, ut rursus expandantur et ocius post partum haemorrhagia eveniat, quae celerrimum medici auxilium postulet.

Metrorrhagiae ipsae autem dividuntur:

1. secundum quantitatem sanguinis effluxi in metrorrhagiam per stillicidium et per profluvium sanguinis, quod profluvium autem tanto impetu fieri potest, ut tanquam flumen effluat, quod Francogalli vocant hémorrhagie foudroyante.

   Quod ad hanc divisionem attinet, ex copia sanguinis perditi non ad effectum, quem in corpus habet, concludere possumus, nam eadem copia alteram foeminam pau-

lulum tantum afficere potest, alteri autem mox mortem adducit.

2. Secundum qualitatem sanguinis effluentis arteriosa magis aut venosa esse potest.

3. Secundum locum, quem ineunt, dividuntur in metrorrhagiam externam vel internam.

4. Secundum characterem in metrorrhagiam activam et passivam. —

Symptomatologia.

1. Metrorrhagia activa.

Haec haemorrhagia rarissime oritur in quinta partus periodo, si autem evenit, eius prodromi sunt: lassitudo, gravedo, vertigo, rubor faciei, scintillae ante oculos, susurrus aurium, dolores capitis, dorsi, lumborum, coxarum, ventris, calor adauctus, sensus pressionis in pelvi, pressus ad mingendum, anxietas, cordis palpitatio, difficilis respiratio, horribilatio, siccitas oris, sitis. Pulsus initio est spasticus, postea et prope ante haemorrhagiam fortior, undosus et secundum Reil 1) dicrotus. Sanguinis profluvium celerrime sequitur, sanguis ipse est magis arteriosus, fluidus 2). Comitantur hunc ex utero fluxum tum praedicta symptomata tum si longius durat, quo in casu facile in haemorrhagiam passivam transit, imbecillitas, faciei pallor, oscitatio, suspiria, difficilis praecipue a motu respiratio et pectoris quasi constrictio, visus obnubilatio, syncope, extremorum frigus, suffocatio, convulsiones.

2. Metrorrhagia passiva.

Causa huius metrorrhagiae est turgor vitalis atque ener-

---

1) Reil's Fieberlehre III Bd. p. 240.

2) Carus Gynaecologie I Th. p. 246.

gia systematis nervosi et vasorum exstincta; ipsa autem est imbecillitatis totius organismi aut organorum sexualium sequela. Nulli prodromi adsunt, sed statim post infantis exclusionem sanguis effluit. Foemina ipsa aut non sentit, aut dicit, aliquid ex vagina effluere, et si exploramus, uterum extensum atque sanguinem continuo impetu effluere invenimus. Mox oculi obnebulantur, color faciei pallidus, susurrus atque tinnitus aurium, extremitates frigescunt, respiratio fit stertorosa. Si aegrota interrogatur, debili atque exstincta respondit voce, se omnem perdere sanguinem; color faciei fit pallidissimus, ita etiam labia oris atque totum corpus pallescunt, oritur delirium fugax sed muscitans 3), totum corpus viscido atque frigido obtectum est sudore. Interdum mulieres frequenti vomitu atque doloribus urgentibus in scrobiculo cordis cruciantur 4), pulsus fit frequens, debilis, vacillans, aegrota magna corripitur anxietate, inquiete se iactatur, sequuntur subsultus tendinum, singultus atque syncope et morte denique scena finitur.

Osiander 5) saepe quantitatem, ut refert, sanguinis perditi pependit et putat, iacturam trium aut quatuor librarum syncopem profundam, celerem autem quinque aut sex librarum amissionem paene semper adducere mortem.

3. Metrorrhagia interna.

Multo difficilius quam haemorrhagia externa est cognoscenda interna, atque semper opus est, ut, si puerpera subito valde aegrotat, exploratio instituatur, ne fallamur atque aegrota interficiatur, priusquam auxilium afferamus. Cogno-

---

3) Nouveaux élémens de la science et de l'art de l'accouchement par I. P. Maygrier Tom. I. p. 263.

4) Observations sur les pertes de sang des femmes en couches etc. par Le Roux. Partie I. art VI.

5) Osiander's Handbuch der Entbindungskunst III. Bd. p. 400.

scimus autem hanc conditionem eo, quod foemina antea nulla de re quaerens subito nausea atque doloribus vehementibus spasticis corripitur, ex viribus consenescentibus, oculorum obnebulatione, susurru tinnituque aurium et oscitatione. Aegrota saepe sensum habet, quasi globulus ex ventriculo in collum ascendat 6), atque syncopat. Si explorationem instituamus externam, abdomen valde tumidum, uterum non contractum, sed minus durum, quam esse solet, atque extensum et quidem magis in diametro longitudinali quam in diametro transversa et recta 7) invenimus. Exploratione interna orificium uteri apparet vel sanguine concreto obturatum vel placenta super eo sita, vel situs uteri perversus, vel orificium ita spastice contractum, ut sanguis effluere non possit. Introducta in uteri cavitatem manu uterum ipsum plus minusve magna sanguinis fluidi aut coagulati copia impletum invenimus. Quodsi hac in conditione non auxilium feramus, celeriter vires franguntur, pulsus fit frequentissimus, parvus, vix sentiendus, sudor tenax frigidus totum obtegit corpus, extremitates frigescunt tremuntque, vomitus atque convulsiones apparent, quibuscum dolor vehemens atque fixus se coniungit, pulsus intermittens, frigus corporis auctum, facies hippocratica et mors doloribus silentibus sequitur. Aegrota ipsa animus sui compos restat atque mortem sentit appropinquantem.

Quodsi haemorrhagia ipsa in accessione non hoc cum tristi exitu coniuncta est, puerpera tamen per longum tempus laborat et saepe ex ea oriuntur sequelae, quae post aliquod tempus adducunt mortem. Quaque haemorrhagia dispositio ad novos sanguinis fluxus augetur, sequuntur dolores

---

6) Monographie der innern Haemorrhagien der Gebärmutter etc. nach Beaudelocque bearbeitet von Dr. C. Schwabe. p. 9.

7) Beaudelocque Monogr. d. inn. Haem. l. c.

capitis atque sensus pressus in occipite et cervice, qui per longum tempus aegrotam vexant, quique secundum Le Roux in deficientibus sanguinis globulis atque collapsu vasorum habent causam, pulsus parvus atque irritatus, cutis sudore tenaci obtecta, magna corporis debilitas magna irritabilitate coniuncta, respiratio brevis, appetitus ciborum deficiens, digestio turbata, fluor albus et Reilius 8) semel post metrorrhagiam tam magnam serosi fluidi copiam effluere vidit, ut totus lectus permadesceret, sterilitas, dispositio ad perversos uteri situs, morbi uteri organici eorumque sequelae, denique oedema pedum, anasarca, ascites, hydrothorax et saepe post longum tempus demum mors.

Sectio.

Corpora sanguinis profluvio mortuarum colorem praebent pallidissimum, rarissime in oculis et in extremitatibus parvae ecchymosae inveniuntur, omnia organa sunt sanguinis inania, plexus chorioideus albidus, ita etiam cerebrum, pulmones collapsi, hepatis turgor non amplius adest, color eius in squalidum luridumque mutatus, cor atque magna vasa sanguine carent atque collapsa sunt, in utero solummodo interdum lumina vasorum et praecipue in eo loco, in quo placenta adhaerebat, ampla inveniuntur. Praeterea uterum modo putrefactum, modo laxum, ut marsupium, omni tono carentem, modo extensum, sed densum atque solidiorem quam normalem, ita ut hac conditione contractiones impeditae et sanguinis fluxus provocatus et sustentatus sit, modo indurationem et interdum ossificationem singulorum locorum, abscessus in vagina aut in musculis pelvis aut in utero ipso, rupturam uteri, laesiones eius vel tunicae internae abruptionem invenimus 9).

---

8) Reil's Fieberlehre III. Bd. p. 243.

9) Elias von Siebold Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der der Frauenzimmerkrankheiten II. B. III. Abschn. p. 59.

Aetiologia.

Omnes metrorrhagiae causae, tam externae quam internae, in eo conspirant, quod vel partium genitalium localem modo affectionem, profluo cruento faventem, indicant, vel universum in systema agendo, nunc aucto nimis uterina per vasa motu, ac stimulo in istis secretionem cruentum promovente, sanguinem disperdant, vel eundem, imminuta canalium resistentia, fugientem transmitti, aut morbose secerni iubeant. Causae autem locales et in praematura placentae solutione et in eius adhaesione, et in corporibus in utero relictis, et in vitiis structurae situsque eius, et in laesa virium vitalium ratione, qua fibrarum relaxatio adducitur, consistunt. Est nempe coniunctio placentae cum utero inaequalis, sunt singula loca filamentis tendinosis vel calci similibus concrementis cum utero coniuncta, tum contractiones uteri post infantis partum loca minus adhaerentia solvunt, altera autem placentae pars, quae arcte cum utero cohaesit, non statim solvitur et inde metrorrhagia oritur 1). Causa autem huius conditionis inflammatio uteri chronica esse videtur. Porro haec solutio partialis originem habere potest in brevitate funiculi umbilicalis aut incautis in eo tractionibus. Denique adhaesio placentae lateralis saepe sanguinis profluvii est causa, quam adhaesionem lateralem in graviditate cognoscimus ope cylindri et eo, quod venter tamquam in duos globos est divisus et eo loco, quo placenta adhaeret, tumor dolens invenitur atque uterus magis se extendit versus latus oppositum 2). Si haec conditio adest, tum etiam contractionibus uteri ea pars, quae magis ad fundum uteri

---

1) Le Roux op. c. art. II.

2) Le Roux op. c. art. VI.

sita est, prius solvitur, quam ea, quae magis in pariete laterali uteri adhaeret, et iterum causa haemorrhagiae data est. Haemorrhagiam autem e partiali placentae solutione esse exortam eo cognoscimus, quod placenta inter uteri contractiones remanet, sanguinis vero maior copia profluit, sanguis ipse arteriosus et calidior, atque foemina eo in loco, quo placenta adhaeret, dolorem sentit fixum 3).

Nec minus a corporis alienis, a placenta vel tota vel ex parte in utero nimis diu relicta, aut spasmis hoc in viscere incarcerata, ex grumis sanguinis, polyposis, in eodem a partu concretis, a molis, ab infantis partibus abruptis, uterique contractionem praepedientibus, profluvia cruoris oriri monuimus.

Ita etiam vitia structurae uteri, ut induratio, scirrhus, ossificatio singulorum uteri locorum etc. saepe sunt haemorrhagiae causae.

Quod ad vitia situs uteri attinet, hic nominanda sunt, antroversio, prolapsus, praecipue autem intussusceptio atque inversio. In uteri intussusceptione fundus in cavum descendit, interna eius superficies externa facta sese contrahere non potest et causa haemorrhagiae satis datur. Exploratione instituta uteri fundum pugni magnitudine in eius cavum suspensum maximeque dolentem invenies. Inversio uteri aut imperfecta est, ita ut fundus per os descendat et ab hoc circumdetur, aut perfecta, ita ut uterus ex toto invertatur, internaque eius superficies e vagina promineat. In imperfecta inversione tumorem maiorem minoremve ante ipsum uteri os et isto arctissime conditum animadvertes. In perfecta vero inversione uterum piriformo e vagina pendentem conspicies, os tamen eius minime, tangente digito, invenire potes. A polypis tumores huiusmodi discernuntur. et haemorrhagia et dolore, et eo, quod in externa regionis

3) Carus Gynaecolegie. Th. II. p. 444.

pubis exploratione fundus uteri non deprehendatur. Differentia vero maxima in eo consistit, quod aegra optime digiti adtactum sentit, etiamque locum accurate definire potest, quod in polypis fieri nequit, quia hi per se vitam degunt, neque ullum cum ceteris nervis commercium alunt, porro eo, quod, si explorationem per intestinum rectum instituimus, fundum uteri inversum sentimus. Et intussusceptio et inversio celeriori partu afferuntur, praesertim cum ipsum organon non valde extensum sit, eiusque ligamenta laxa fuerint, si foemina post infantis partum vehementer premat, si funiculus umbilicalis vehementius attrahatur aut, si funiculus umbilicalis absolute brevis est aut multis circumiectionibus prolis relative brevis facta, ipso infantis partu. Fieri autem potest, ut Siebold 4) refert, ut tantum tumica interna uteri sit soluta atque inversa, quo in casu dolor tangendo minus vehemens est, quam si substantia ipsa est inversa.

Ruptura uteri quinta in partus periodo non oritur et haemorrhagia ex hac orta iam prius apparet. Saepe autem laesiones internae tantum superficiei proficiscuntur ex vehementiore in placenta adhaerente tractione aut ipsius medici manibus ex inepta placentae solutione. Atque hae laesiones uti istae et rupturae colli uteri, infante ipso vel instrumentis in partu adhibitis productae, causae sunt haemorrhagiae.

Vehementissima autem haemorrhagia atoniam uteri sequitur, quae atonia vario modo se manifestare potest, sive uterus post prolis exclusionem extensus remanet, quo in casu ventrem valde extensum invenimus; et si hac in conditione placenta vel tota vel partialis est soluta, haemorrhagia magno cum impetu sequitur; sive uterus se contrahit, sed non eo in gradu, ut lumina vasorum claudantur, sive uterus celeriter infante excluso contrahitur, postea autem in atoniam

4) Siebold op. c. p. 47.

cadit atque maius minusve extenditur; sive atonia non totum corripit uterum, sed tantum partem quandam, praesertim eam, cui placenta adhaesit, orificium autem se contrahit, quo in casu metrorrhagia existit interna 5). Cognoscimus autem atoniam inter partum, quod dolores parvum tantum habent effectum, post longum intervallum redeunt, uterus inter contractiones parum durus est, orificium tarde dilatatur, aquae longe persis·ıut, tumor partis infantis praeviae parvus est, et quod prole edito uterus imperfecte contrahitur 6). Profertur autem atonia subitanea uteri evacuatione, ampla eius extensione, aut magna liquoris amnii copia aut plurium foetuum praesentia producta, ipsoque partu, si longius protrahitur.

Quod ad causas universales attinet, haemorrhagiae oriuntur ex plethora universali atque praecipue organorum sexualium, ex incitatione systematis vasorum et ex magna irritabilitate praecipue in organorum sexualium nervis, aut ex magna totius corporis debilitate. Metrorrhagiis activis corripiuntur robustae atque plethoricae mulieres, quae facile congestionibus laborant. Augetur autem haec dispositio quaque incitatione systematis vasorum, diaeta luxuriosa, cibis atque medicaminibus, quae abdominis nervos atque vasa et praesertim organorum sexualium vehementer excitant atque congestiones ad ea producunt, spirituosorum, aromatumque abusu, drasticis, emenagogis, abortivis, irritamentis psychicis, organorum abdominis prope iacentium morbis atque morbis universalibus, qui circulum sanguinis in organis sexualibus impediunt atque congestiones ad ea producunt, irritamentis localibus, ut pessariis etc. Ad quas haemorrhagias

---

5) Siebold. op. c. p. 47.

6) Joerg's Handbuch der speciellen Therapie für Aerzte am Geburtsbette p. 150.

activas etiam illud genus est numerandum, quod R. Gooch 7) descripsit, quo in casu foemina inter partum faciem rubrum, pulsum plenum, frequentiorem habuit, et quamquam uterus infante edito mox se contraxit, attamen vehemens sanguinis profluvium exortum est. Gooch ipse hunc casum ita explicat, si circulus sanguinis, inquit, valde vehemens est, vasorum contractionem vincere potest atque ita haemorrhagia existit, quamquam uterus contrahitur. Dispositionem ad haemorrhagiam passivam autem habent foeminae debiles et praecipue leucophlegmaticae. Augetur autem haec dispositio vita otiosa luxuriosaque, animi affectionibus deprimentibus, magna inopia, malis cibis atque malo domicilio, haemorrhagiis praegressis, morbis, qui vires valde debilitant aut sanguificationem corrumpunt, scilicet febris intermittens neglecta, perniciosa, praecipue vero acuta nervosa, vel simplex, vel cum exanthemate, cum variolis, morbillis, scarlatina, miliariis, petechiis complicata, febris putrida, chlorosis, viscerum, obstructio, hydrops, scrofulosis, syphilis universalis, tum morbis genitalium ipsorum, polypis, scirrho, carcinomate, steatomate uteri, fluore albo, morbis genitalium contagiosis, venereis, porro perverso uteri situ, multis puerperiis etc. Tum etiam dispositio haereditaria observata est, ubi filiae, quarum matres haemorrhagiis laboraverant, etiam in partu sanguinis profluvio corripiebantur 8).

Nonnunquam etiam aeris conditio est causa haemorrhagiae, et tum more quasi epidemico profluvia sanguinis paene omnibus in puerperio existere solent 9).

Quod metrorrhagiam attinet internam causae huius sunt: solutio partis placentae centralis, si circumferentia eius ad-

---

7) R. Gooch, Ueber einige der wichtigsten Krankheiten, die den Frauen eigenthümlich sind. Klin. Handbibl. III. Bd. cap. VI.

8) Mende, Die Geschlechtskrankheiten des Weibes II. Th. p. 170.

9) Siebold op citat. p. 51.

huc adhaeret, quo in casu sanguis inter placentam et uterum effunditur, atque Coley 10) dicit, sanguinis tam magnam copiam effundi posse inter placentam et uterum, ut mors sine haemorrhagia externa sequatur, quod autem vix fieri posse videtur, quum, si placenta toto margine adhuc adhaeret, spatium inter eam et uterum non tantum est, ut magna copia sanguinis effundi possit. Porro conclusio orificii uteri vel placenta soluta, vel coagulis sanguineis, vel contractione eius, si corpus uteri adhuc est extensum, atque Mende 11) dicit, conclusionem orificii nimis maturam saepe esse causam haemorrhagiae.

Prognosis.

Prognosis haemorrhagiarum in quinta partus periodo pendet a constitutione puerperae, causis, indole profluvii sanguinis ipsius, copia sanguinis perditi atque symptomatis, quibus sanguinis comitatur profluvium.

Quod ad constitutionem attinet plethoricae, robustae atque florentes mulieres facilius quantitatem sanguinis sine noxia perdere possunt, quam aetate provectae, debiles atque praecipue leucophlegmaticae, quae haemorrhagia valde offenduntur et, licet sanguinis profluvium mortem non afferat, facile tamen sequelis haemorrhagiae diem obeunt supremum.

Quoad causas prognosis melior erit, si corpora aliena in utero retenta haemorrhagiam provocaverint, quia plerumque sine ulla difficultate removenda sunt, peior autem erit, si corpora aliena removere non possumus, si contractio uteri adsit spastica, quo in casu facilius depletionis symptomata apparent, aut si praemature placenta in altera parte ab utero

---

10) Meissner's Forschungen. V. Bd. p. 81.

11) Hufeland's Journal. XXVI. Bd. I. St. p. 124.

seiungatur, in altero vero nimis firme et abnormiter cum eo coniuncta maneat. Sin vero haemorrhagia ex uteri inversione orta est, prognosis valde dubia existit, atque eo magis, quo magis perfecta sit inversio, ita ut rarissime mortem avertas. Haemorrhagia vero ex uteri atonia progressa eo periculosior est, quo prius post partum imminet, quo vehementior sanguinis effluxus, quo maior partium debilitas adest, atque si ea non interficitur aegrota, tamen ex magna sanguinis perditi copia graves oriantur sequelae, scilicet hydrops, chlorosis, phtisis etc., quae postea mortem adducunt. Quod attinet laesiones, quae haemorrhagiarum causae fieri possunt, istae certe corporis aut fundi uteri multo maioris momenti sunt et multo periculosiores, quam illae in collo aut portione vaginarum.

Prognosis haemorrhagiarum activarum inter omnes est optima, quia saepe est critica atqua vi naturae ipsius sanatur. Salubra autem tamdiu est, quamdiu aegrota se relevatam sentit, symptomata congestionis organorum pectoris atque cerebri diminuuntur, atque mulier, ut Mende refert, non magis quam duas libras sanguinis perdidit, fit autem aegra debilis, oritur sensus anxietatis atque pressus in pectore, est copia sanguinis perditi maior quam trium librarum, tum adest periculum atque facile transitum facit in metrorrhagiam passivam 1). Metrorrhagia autem passiva meliorem dat prognosin, si ex activa est exorta, quam si initio iam adest atonia, fluxu sanguinis autem sine intermissione perdurante, si symptomata apparent nervosa, tum exitus lethalis semper est verendus. Profluvii sanguiuis epidemico more apparantes secundum Siebold 2) non sunt tam periculosae.

Multum ad prognosin copia sanguinis effluxi atque celeritas, qua missio fit, valent. Copia sanguinis non magna,

---

1) Mende's Geschlechtskrankheiten des Weibes. I. c.

2) Siebold l. c.

sed valde celeriter perdita multo magis foeminam offendit, quam si maiorem copiam in longiore temporis spatio amittit et saepe inopinate mortem adducit ; fluxu etiam sanguinis suppresso. Ackermann 3) causam mortis in eo invenire putat, quod vasa celeritate missionis sanguinis contractionem suam perdant atque cordi sanguinem adducere nequeant.

Quod symptomata attinet comitantia, mors foeminae summopere est timenda, si visum sibi labescere, obscurari oculos, aures tinnire, susurrum, quasi ab aquis ruentibus, percipere referat, si manus pedesque frigescant, sudor frigidus viscidusque faciem pallidissimam contegat, si pulsus frequentissimus vacillet, intermittat, si anxie iactetur, profundius suspiret mulier. Oscitatio continua, sonora, subsultus tendinum, singultus, convulsiones, syncopae instantem iam mortem praedicunt.

Therapia.

Quaque in haemorrhagia indicationes sunt, haemorrhagiam ipsam cavere, causas removere, sanguinis profluvium sistere atque sequelas avertere.

Prophylaxis.

Si mulier dispositionem habet ad haemorrhagiam, omnia irritamenta sunt arcenda, foemina purum trahat aerem, vitet vestimenta angusta, culcitas, largam diaetam atque spirituosa. In muliere autem plethorica atque robusta, quae fortasse iam prius haemorrhagia laboravit, haemorrhagia activa est timenda, atque hoc in casu plethora tollenda est, quamobrem venaesectiones in graviditate atque, si pulsus frequens, durus, facies est rubra, ipso in partu sunt adhibendae, non

---

3) Ackermann, Bemerkungen über die Kur und Kenntniss einiger Krankheiten. H. II. p. 87.

autem magnae, quae facile prolis mortem adducere possunt. Remota maneant omnia animi pathemata, omnia irritantia, spirituosa, et, ne secretiones et excretiones turbentur, cavendum est. Diaeta sit antiphlogistica. Inter partum ipsum temperatura cubiculi frigidior sit, in abdomine lintea aceto vini impraegnata ponantur etc. Si vero mulier laborat imbecillitate universali vel organorum solummodo sexualium, ut tollatur haec curandum est. Foemina moderate se moveat, abstineat se ab omnibus negotiis, purum trahat aerem, diaeta sit nutriens atque tonica ipsa adhibeantur. In partu providi simus, qui, si valde protrahatur et vires magis magisque debilitet, acceleretur, e contrario autem partus praecipitatus coarcendus, ne infante subito excluso uterus cadat in atoniam. Quem ad finem secundum Levret 1) foemina in dorso iaceat, inter dolores non premat atque aquae rumpantur, priusquam orificium uteri sit dilatatum. Atonia uteri, si imminet, Le Roux 2) commendat, ut foemina, capite in pelvis introitum ingresso, non valde premat, quo fit, ut contractionibus uteri lente per pelvem infans pellatur, atque si humeri capite enato adhuc remaneant, eos non statim protrahamus, sed exspectemus, ut dolores ipsi eos propellant. Inter partum ipsum frictiones atque inunctiones abdominis spirituosae sunt faciendae.

Secunda in haemorrhagia curanda indicatio est, causas sanguinis profluvii removere.

Si ex corpore alieno, uti ex placenta vel tota vel partiali, aut velamentorum parte, aut coagulis sanguinis etc., in utero relictis, haemorrhagia provocatur, omnis et unica tantum salus puerperae in eo sita est, ut cito sed caute ac prudenter corpora illa extrahantur. Manu igitur in uterum

1) Levret, Suite des observations. art. X. p. 165.

2) Le Roux op. c. Partie II. art. I.

illata coagula removeantur et placenta, quae fortasse ex parte adhuc adhaeret, solvatur. Parva parietum internorum irritatio, quae cum isto negotio fit, contractiones saepissime provocat. Quam noxam corpora in utero relicta provocant, iam Celsus 3) cognovit, dicens: „Medicus deinde sinistra manu leniter trahere umbilicum ita, ne abrumpat, dextraque eum sequi usque ad eas, quas secundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit: hisque ultimis apprehensis venulas membranulasque omnes eadem ratione diducere a vulva, totumque illud extrahere, et si quid intus praeterea concreti sanguinis remanet." Atque Le Roux 4) etiam placentam vel totam vel ex parte relictam statim extrahendam esse refert, nam exspectando, inquit, num uterus contractionibus eam expellat, mortem facile mulieris vitae finem facere posse, aut placentam in utero retentam brevi putrescere, unde varii morbi existere queant; placenta autem incarcerata, manum usque ad locum spasmodice contractum inducere commendat atque digitis magna cum prudentia locum dilatare atque placentam ipsam solvere et extrahere. Eandem offert sententiam Maygrier 5) qui dicit, retentionem partium velamentorum adhuc esse periculosiorem, quia non tam facile putrescerent, quam placenta. Burns 6) autem suadet, si placenta adhuc adhaeret, priusquam eam solvamus, contractiones uteri frictionibus externis excitare. Bruch 7) monet, ut haemorrhagiis apparentibus nos caveamus, ne placentam solvamus, quia non semper sanguinis

---

3) De Medicina lib. VII. cap. XXIX. p. 492.

4) Le Roux op. c. P. II. art. III.

5) Maygrier op. c. p. 450.

6) John Burns, Geburtshülfe, übersetzt von H. F. Kilian p. 328 und 339 seq.

7) Journal der Erfindungen und Widersprüche. No. 37. p 127.

profluvium ex partiali placentae solutione oriatur, sed si sanguinis fluxus etiam hac ex causa non ortus est, tamen placenta praesente uteres se non bene contrahere potest et ita effluxus sanguinis ipse sustinetur. Meissner 8) contra suadet, ut in atonia uteri placenta solvatur, nam tum demum iniectiones, quae magnum commodum afferant, adhibere possemus. Hoc vero in casu placentae solutionem Bruch valde vituperat. Si ex concretione cum utero Chorii pars remanet, Joerg 9), ut eam non removeamus commendat, sed naturae eam permittamus, siculi etiam placentae adhaerentis partes firmiter cum utero coniunctas sine detrimento in utero relinqui posse.

Si intussusceptio aut inversio uteri adest, repositio instituenda est, quae in intussusceptione facile negotio fit, si manu fundum uteri altius moves. Saepe natura ipsa repositionem perficit. Saxtorph 10) casum enarrat, in quo, quum in intussusceptione uteri pressione parietum in eius fundum, ceterisque eam reponendi conatibus non sanaretur, repositio post aliquod tempus ipsis uteri contractionibus sponte finita sit. Sed statim repositio intussusceptionis instituatur, priusquam orificium uteri clausum sit et repositione facta manus adhuc per aliquod temporis spatium in utero remaneat, donec contrationes provocatae sunt. Repositio inversionis et imperfectae et perfectae facile facienda est, si statim adsumus, molestum autem est, et saepe fieri non potest, ut inversionem uteri praesertim perfectam reponamus, si pars delapsa ab ore uteri fixa tenetur et carcere quasi inclusa est. Nisi paullo post inversionem ortam repositio fiat, uterus ipse ex partibus adiacentibus offensus aut aeris athmosphaerici

---

8) Meissner's Forschungen. II. Th. p. 145.

9) Joerg op. c. p. 261.

10) Saxtorph, de diversis uteri inversi speciebus.

accessu inflammatur, intumescit, regescitque, et quamquam haemorrhagia etiam cessat, gangraena postea sequitur et mors. Quaecunque remedia antiphlogistica interne adhibita, cataplasmata emollientia, oleosa, vapores calidi, balnea etc., omni prorsus effectu saepissime destituuntur. Repositione autem peracta manus adhuc aliquod tempus in utero remaneat ad contractiones provocandas inversionemque recidivam cavendam. Si in inversione uteri placenta nondum est exclusa, ea, si non firmiter adhaeret, ante repositionem solvatur, e contrario autem repositio cum placenta instituatur et tum, si contractiones sunt exortae, caute eam solvamus 11). Si contractio uteri spasmodica causa est haemorrhagiae, interne antispasmodica adhibenda sunt, ex quibus opium summum affert auxilium, externe inunctiones ex oleo Hyoscyami, linimento volatile cum opio etc. et epithemata calida instituantur.

Ad haemorrhagiam ipsam sistendam permulta commendata sunt remedia, et externa, et localia, et interna, quorum praestantissima persequi volumus.

I. Medicamina externa.

Venaesectio.

Quamquam Guillemeau 12) valde eam commendat, atque etiam Maygrier 13) dicit, interdum unicum esse remedium, tamen rarissime est indicata, nam sanguinis effluxu plerumque plethora si adest iam tollitur, et instituatur solummodo, si ab initio adsumus; atque, ut Pet. Frank 14) iam refert, tum demum, si febris et symptomata inflamma-

---

11) Le Roux op. c. P. II. art. III.

12) Accouchemens de Guillemeau. tom. 3. chap. 17. p. 349.

13) Maygrier l. c.

14) Epitome de curandis hominum morbis. lib. V. p. 338.

toria, pulsus plenus, durus, calor, sitis, dolor ab attactu magnus sese manifestant, vena secetur.

Frictiones abdominis atque uteri cum manu, quibus contractiones excitantur, multum contra uteri atoniam valent, non autem inflammatione uteri praesente sunt adhibendae. Cum hisce frictionibus magna cum utilitate iunguntur inunctiones variorum medicaminum secundum causas atque indolem haemorrhagiae ipsius, in atonia enim inunctiones linimenti volatilis, naphthae vitrioli, quarum Joerg 15) magnus est laudator, in contractione spasmodica olea pinguia, oleum hyoscyami atque linimentum volatile cum opio.

Compressio abdominis quasi saluberrima commendata vario modo instituitur. Dasse 16) atque Osiander 17) commendant, manus in regionem hypogastricam imponere atque uterum modo ab uno latere ad alterum, modo a fundo ad collum comprimere, quam per compressionem uterus se contrahat; ne autem brevi tempore iterum se extendat, medicus uterum per aliquot tempus compressum teneat, necesse est. Levret autem 18) atque Beaudelocque et Millot uterum comprimunt atque per fasciam cum plagulis aceto vino impraegnatis impediunt, ne uterus fiat laxus, atque novissimis temporibus Sam. Miles 19) hunc ac finem cingulum, quod tornaculum vocat uterinum, invenit. Kluge 20) saccum arena completum commendat. Aegra pedibus coarctatis, horizontalem accipiat situm, resupina iacet, tegumenta

---

15) Joerg. op. cit. p. 322.

16) Journal des savans du Lundi 3. Août 1722. p 491.

17) Op. cit. p. 406.

18) Levret, suite des observations sur les acc. laborieux. art X. No. 8. p. 226.

19) Froriep's Notizen. No. 621. p. 86.

20) Siebold's Journal. VII. Bd. p. 145 u. 535.

abdominalia superius trahuntur, ut supra uterum nulla relinquatur cutis plica, lacunar istud arenae libris sex, decem aut sedecim, quoad constitutionem et periculum, impletum, in fundum uteri accurate deponitur, et fascia et saccum et lectum circumdante ligatur. Sic uterus compressione et irritatione externa ad novas contractiones provocatur. Optime huic frigas addes, e. g. eo, quod arenam humectes. Qua compressione certe multam valemus, attamen et praecipue saccus a Kluge commendatus caute adhibendus est, ne atonia uteri magna praesente facile intussusceptio aut inversio oriatur.

Ulsamer 21) suadet compressionem aortae per integumenta abdominis. Foemina cruribus attractis in dorso iaceat, et medicus digito indice et medio super uteri fundum versus columnam vertebralem premat, donec aortam sentit, quae tum facile comprimi potest. Etiam Siebold 22) hanc compressionem laudat, sed ad haemorrhagiam ipsam sistendam non multum valet, et ipse Ulsamer dicit, eam adhibere tantum ad sanguinem retinendum, donec remedia ad sanguinis profluvium sistendum adhibita essent. Porro ad sanguinis profluvium sistendum frigus externe aut forma fomentationum aut adspersionum aut infusionum commendatum est. Quod ad infusiones ex aqua frigida attinet, iis contractiones uteri provocari posse, nemo dubitabit, attamen ex usu earum graves oriri possunt morbi, quapropter Le Roy 23), Joerg, Haase, Beaudelocque, Le Roux et alii valde eas vituperant. Magis fomentationes sunt laudandae, quae bono

---

21) Encyclopaed. Wörterbuch der med. Wissenschaften, herausgegeben von Busch, Graefe, C. W. Hufeland, Link u. Müller. XIII. Bd. IV. H. p. 536.

22) Siebold's Journal. VIII. Bd. p. 419.

23) Le Roy de pertes des sanges. p. 1600.

cum successu adhibentur in haemorrhagiis ex affectionibus uteri inflammatoriis, in atonia uteri ex nimia eius extensione educta. Parantur autem hae fomentationes ex aqua frigida mera, vel aceto vini vel spiritu vini mixta, ex solutione adstringentium etc. Meissner 24) loco eorum aetherem in abdomen instillare commendat, quo non solum frigus efficiatur, sed etiam vis uteri incitetur.

Simili modo etiam fomenta calida laudantur, quae, si spasmus uteri aut placenta incarcerata, aut vis nervorum alienata sunt causae haemorrhagiae, bono cum successu in usum vocantur.

Quod ligaturas ad extremitates apponendas attinet, iis circulatio sanguinis venosi impeditur, eo magis autem circulatio eius in arteriis oritur et fluxus ad uterum atque inde haemorrhagia quoque augetur, quamobrem nequaquam eas commendari licet.

Porro commendata sunt applicatio cucurbitarum siccarum duarum quatuorve in utraque mamma, et a Pouteau 25) vesicantium inter et infra mammas, quae remedia antagonismo inter mammas et uterum agere debeaut. Atque Leake 26) et Chaussier 27) manuluvia calida cum pediluvius frigidis simul coniuncta proponunt, contra quae autem Haase 28) monet, usu eorum etiam congestiones ad uterum atque inde haemorrhagiam ipsam augeri. Denique a Gask cauterisatio plantarum pedum cum ferro candente est commendata, sed hucusque nunquam adhibita 29).

---

24) Meissner's Forschungen. II. Th. p. 144.

25) Sammlung auserlesener Abhandlungen. XII. Bd. p. 346.

26) Praktische Bemerkungen über verschiedene Krankheiten der Schwangern und Wöchnerinnen, a. d. Engl. 1775. p. 196.

27) Stark's Archiv. II. Bd. 3. St. p. 23.

28) Ueber die Erkenntniss und Kur der chron. Krankh. I. B. p. 412.

29) Beaudelocque op. cit. p. 78.

II. Medicamina localia.

Iniectiones in uterum ad remedia saluberrima sunt numerandae, Osiander 30) tamen dicit, eas non satis celeriter agere, et sanguinem cum materia iniecta adhuc effluere posse, contra quod autem monendum, irritatione uteri contractiones eius provocari atque ita sanguinis profluvium sisti. Num haec iniectiones frigidae an tepidae sint adhibendae, medici inter se non consentiunt, sunt nempe, qui iniectiones frigidas omnino reiiciant, e. g. Ioerg 31), Wigand 32) atque Spangenberg 33). Sed non omnino reiiciendae sunt; priusquam autem iniectiones adhibeamus, necesse est, ut videamus, quaenam sit conditio uteri et quae causae sint praegressae, et secundum eas iniectiones frigidas vel tepidas faciamus. In haemorrhagiis activis omnino iniectiones vitandae sunt, quia facile inflammationem uteri adducunt. Quodsi autem atonia uteri causa haemorrhagiae est, iniectiones frigidae sunt commendandae. Parantur autem hac iniectiones ex aqua mera vel cum aceto mixta, ex solutione aluminis, ferri sulfurici, decocto quercus, chinae et Wedekind 34) iniectiones e decocto sabinae laudat et Pasta 35) iniectiones commendat e spiritu vini. Sed ex iniectionibus hisce vehementer irritantibus facile detrimentum oritur, inflammatio et eius exitus, quamobrem non sunt ex materiis valde irritantibus parandae, et Pasta 36), qui eas tamen laudat,

30) Osiander op. cit.

31) Ioerg l. c.

32) Hamburgisches Magazin für Geburtshülfe 2 St. p. 88.

33) Spangenberg über die Blutflüsse in medicin. Hinsicht. Braunschweig 1805.

34) Hufeland's Journal X. B. 1 St.

35) Traité des pertes de sang chez les femmes enceintes. Traduit par I. L. Alibert. Tom. II. p. 148.

36) l. c. p. 149.

simul postea ad irritationem diminuendam iniectiones e lacte tepida adhibendas esse dicit. In haemorrhagiis autem ex contractione uteri spastica exortis iniectiones tepidae locum habent, quas hunc ad finem magna cum utilitate ex remediis antispasticis paramus, uti ex infuso flor. Chamom., hb. Hyoscyam., Belladonnae, rad. Valerianae etc.

Nullum autem remedium magis laudatum, ab aliis autem reiectum, quam obturamentum e lenteo contorto paratum, et aceto, aut aluminis, vitrioli martis solutione impraegnatum, quod in vaginam non modo, ut hanc impleat, sed simul, si patet, in uterum est introducendum. Le Roux 37) maximus huius remedii est laudator, atque multas observationes enumerat, in quibus optimo cum successu illud adhibuit; dicit, uterum inde irritari atque contractiones excitari, tum effluxum sanguinis impediri, quo fiat, ut cavitatem uteri sanguis impleat coagulatus, atque ita vasa obturari. Atque etiam Lobstein illud valde commendat, dicens, non solum lumina vasorum mechanice obturari, sed etiam uterum ipsum ad contractiones irritari. Atque ipse et Bedel casus enarrant, in quibus, post infantis partum, quum placentam solvere non potuerint, maxima cum utilitate hoc remedio usi sint 38). Haase 39) autem de eo refert, post infantis partum semper obturamentum nocere, tanquam corpus alienum agere, contractiones impedire atque profluvium sanguinis ipsum favere, aut haemorrhagiam adducere internam, atque Meissner 40) saepe ex eius usu inflammationem oriri dicit. Nihilominus maximum nobis affert auxilium in haemorrhagiis ex ruptura colli uteri aut ex varicibus colli uteri ruptis exortis,

---

37) Le Roux op. c. Tros. part. art. III. et IV.

38) Meissner's Forschungen V. Bd. p. 85.

39) Haase l. c.

40) l. c. p. 86.

quibus in casibus plerique etiam medici illud remedium laudant. Porro etiam in sanguinis profluvio ex laesione parietum internorum uteri, ex atonia atque ex placentae solutione partiali sed aliis in locis tam firmiter cum utero cohaerente, ut eam non solvere possimus, exorto commendandum est, et saepe nobis unicum affert auxilium. Semper autem his in casibus usque in uteri cavitatem inducatur, oportet, atque simul compressio abdominis fiat, quibus adhibitis non timendum est, ne haemorrhagia eveniat interna. Plerique etiam medici hoc remedium cum compressione abdominis coniunctum in casibus desperatis commendant, ut Beaudelocque 41), Reil 42) etc., et Osiander 43) nunquam ex usu eius, ipsa compressione externa non adhibita, detrimentum quoddam vel haemorrhagiam internam sequentem vidisse refert. Loco huius pessarii Levret tempore hiberno semel glaciem in uterum bono cum successu induxit, quem successum etiam Plessmann vidit 44); atque Evrat 45) coagulis remotis, citrum cortice accurate denudatam infert, succumque comprimendo uteri parietibus instillat, easque humidas reddit. Contractionibus ortis manum removet, citrum vero relinquit. Denique Bouget atque Vernet vesicam aere aut aqua impletum in uterum inferre commendant 46). —

Porro propositum est, manum in uterum ad parietem internum irritandum atque ad vasa, e quibus sanguis vehementer effluat, comprimenda introducere, quam operationem

---

41) Beaudelocque op. c. p. 85.

42) Fieberlehre III. B. p. 280.

43) op. cit. p. 467.

44) Beaudelocque Op. cit. p. 73.

45) Froriep's Notizen aus der Natur und Heilkunde.

46) Encyclopaed. Wörterbuch p. 539

John Burns 47) valde laudat, atque in uteri contractione spasmodica nullum aliud certum remedium nos habere dicit. In atonia uteri haec introductio manus cum compressione abdominis externa coniuncta valde est commendanda, non autem est adhibenda, si uterus irritabilitate adaucta aut inflammatione laborat. Maximo urgente periculo Ploucquet 48) manu in uterum inducta aortam comprimere suadet, ut vehementissimus sanguinis ad uterum affluxus diminuatur, maximisque his insultibus uterus ipse contrahatur. Siebold 49) quidem hanc methodum reiecit, attamen Heyfelder 50) refert, eam a d'Outrepont, Ulsamer, Latour et Tréhau bono cum eventu esse adhibitam.

Levret 51) praeterea in atonia uteri manum in vaginam ducere atque orificium uteri uno vel duobus digitis ad contractiones uteri incitandas irritare proposuit, contra quod Le Roux 52) admonet, cum eventu adhibuisse, si aliquid spastici adesset, in atonia autem uteri perfecta non multum valere. Quam irritationem orificii uteri etiam Wigand 53) atque Spangenberg 54) suadent, non autem iis consentire possum, si simul clitoridem irritare suadent, nam in muliere

---

47) Burns Geburtshülfe l. c.

48) Loder's Journal für Chirurgie, gerichtliche Medizin und Geburtshülfe I. B. 3 St.

49) l. c.

50) Rust's theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie 12. B. art. haemorrhagia.

51) Memoires de l'academie de Chirurgie. tom. 3 p. 154.

52) Le Roux op. c. Part. II. art. VI.

53) Von den Ursachen und der Behandlung der Nachgeburtszögerungen p. 83.

54) Op. cit. p. 458.

sensili facile eo spasmi provocantur atque haemorrhagia ipsa augetur.

Porro clysmata saepe magno cum effectu in usum vocata sunt, et quidem in atonia uteri clysmata frigida ex aqua cum aceto vini parata, in contractionibus autem spasticis, tepida ex infuso flor. Chamom. aut herb. Hyoscyam. parata, quibus magna cum utilitate opium additur, quod Copland 55) valde commendat. Denique a ingenioso Reil 56) galvanismus laudatur, contra quod consilium tantum monendum est, eius usum maius temporis spatium requirere, quam conditiones permittant.

III. Medicamina interna.

Medicaminum internorum magna copia contra haemorrhagias est proposita, quamobrem breviter tantum praestantissima enumerare volumus, praecipue quum in quinta partus periodo ad ipsam haemorrhagiam sistendam non multum valeant, sed magis ad symptomata comitantia mitigenda atque ad sequelas coercendas adhibeantur.

Quod usum decoctorum mucilaginosorum, sanguinis draconis, Gummi Kino, Catechu, radicis ratanticae etc. attinet, effectus horum medicaminum nimis tardior, quam ut ea in haemorrhagiis, quae tam celeriter auxilium possunt, cum utilitate adhibere possimus, ita etiam ex usu plumbi praeparatorum non multum est sperandum et facile etiam infaustum effectum in corpus habere possunt. Ferrum sulphuricum saepe laudatum est propter vim suam adstringentem et adhibendum erit in haemorrhagiis passivis, praecipue quum etiam vim systematis irritabilis augeat, sed non satis celeriter agit, ut experientia docet, et magis ad recidivam arcendam in usum provocandum est. Idem etiam de Zinco sulphurico est di-

55) Richter's chirurgische Bibliothek XII. Bd. p. 345.

56) Reil's Archiv für Physiologie VII. Bd. 3 H. p. 402.

cendum. Acida vegetabilia in haemorrhagiis activis, quae non vehementes sunt, laudari debent. Ita etiam Kali nitricum quod autem atque natrum muriaticum Reil 57) magnis in dosibus commendat, dicens, antagonistica methodo agere quum irritamentum in ventriculo producat.

Antiquissimis temporibus alumen in haemorrhagiis iam commendatum est, et magno cum iure prae ceteris adstringentibus in haemorrhagiis profusis est laudandum.

In metrorrhagiis passivis autem inter omnia medicamina interna maxime sunt commendata acida mineralia, acidum sulphuricum dilutum, acidum Halleri, praecipue autem acidum phosphoricum, quod Lützelberger 58) valde laudat, quodque passivis in haemorrhagiis celeriter affert auxilium, quum directe vim vitalem organismi augeat atque digestionem minus quam cetera acida offendat. Maximo autem in atoniae gradu atque si syncope iam imminet, multum ex usu naphtharum atque oleorum aethereorum sperandum est, quae semper autem nocent, si status inflammatorius adest, quod etiam de Cinnamomo et praecipue de tinctura eius est dicendum, quae systema vasorum praecipue incitat atque circulationem approperat. Atque summum est remedium, si brevi tempore magna copia sanguinis perdita est, collapsus iam est exortus, atque cutis praecipue manuum pedumque frigescit, ad vim vasorum erigendam, ut Ioerg 59) refert, qui autem nunquam specificum effectum eius in uterum observasse dicit, Bischoff 60) contra corticem cinnamomi potissimum designat systematis et nervorum et vasorum abdominis irritamentum atque specife in organa sexualia et prae-

---

57) Reil's Fieberlehre III. Bd. p. 275.

58) Hufeland's Journal XXVI. Bd. XI. St. p. 15.

59) l. c. p. 328.

60) Die Lehre von den chemischen Heilmitteln I. Bd. p. 450.

cipue in uterum agere dicit, atque Meissner 61) valde coniunctionem tincturae cinnamomi cum acido phosphorico diluto laudat. Etiam ad vim vitalem excitandam multum efficit Ammonium, quod in syncopis atque convulsionibus magna cum utilitate adhibetur.

Si autem spasmi sunt causa haemorrhagiae, tum tinctura valeriana, castoreum, quod secundum novissimas observationes in molis atque secundinarum parte in utero relictis valde commendatur, et praecipue opium adhibendum est, quod in omnibus post infantis partum haemorrhagiis optimum atque minime periculosum cardiacum Burns 62) vocat.

Novissimis autem temporibus secale cornutum contra haemorrhagias in quinta partus periodo est commendatum atque W. Church, Guillemot et Arthur Dizon magnum effectum ex hoc remedio observarunt 63). Maximo autem in periculo phosphor ipse in aethere solutus aut cum oleo amygdalarum dulci et gummi arubico contritus proponitur.

Regimen atque diaeta.

Quaque in haemorrhagia maxima et animi et corporis tranquillitas necesse est, mulier accipiat situm horizontalem cruribus coarctatis, aut secundum Moschion pedum atque pelvis aliquid altiorem quam capitis, in sacco stramento referto aut strato, temperatura cubiculi sit frigida, omnia pathemata animi sunt vitanda. Quod ad somnum attinet, prioribus temporibus eum impedire studerunt, quod autem non est laudandum, potius non est turbandus, sed ut aegrota accuratissime observetur necesse est, ne iterum haemorrhagia oriatur.

Diaeta secundum sanguinis profluvii indolem est prae-

---

61) Meissner's Forschungen l. c.

62) Burns Geburtshülfe l. c.

63) Meissner's Forschungen V. B. p. 82.

scribenda, in haemorrhagia activa ait antiphlogistica, in passiva autem blande nutriens atque roborans.

Ad sequelas avertendas autem opus est, ut vires aegrae sublevemus, observet situm horizontalem, cibos accipiat nutrientes, iusculum carnis cum vitello ovi, vinum cum aqua mixtum, pro potu aqua cum succo citri vel acido sulphurico diluto, atque postea ad roborantia, chinam, martialia etc. transitus faciendus est. Si autem debilitas magna adest, aether vitrioli, asa foetida, valeriana salesque volatiles primum obtinent locum, atque Burns 64) refert, se semper ad debilitatem post sanguinis profluvium ortam tollendam magno cum successu opium, praecipue laudanum liquidum Sydenhami magnis in dosibus dedisse. Busch 65) autem valde effluxu sanguinis ipso sublato involutionem extremitatem laudat. Zeller 66) ad eam tollendam potum sanguinis animalis proposuit, quo remedio iam Celsus 67) usus est. Summum autem periculum si adest, transfusio sanguinis est commendanda, quam operationem Blundell primum instituit 68), atque postea a C. Waller, Brigham atque Fox Douglas felici cum successu est adhibita 69).

Metrorrhagia activa.

Haec metrorrhagia saepe est critica, quo in casu eam non statim tollere debemus, nam tum vehementes oriri pos-

---

64) l. c.

65) Lehrbuch der Geburtskunde 2te Auflage p. 299.

66) Ueber die Wirkungen des thierischen warmen Blutes auf den menschlichen Körper. In den Jahrbüchern der philos. med. Gesellschaft zu Würzburg I. Bd. 1 H. p. 541.

67) De medicina lib. III. cap. 23.

68) Nasse's und Horn's Archiv für medicin. Erfahrungen.

69) Meissner's Forschungen l. c.

sunt sequelae. Si autem non est critica, si initio adsumus et signa inflammatoria adsunt, tum venaesectio est instituenda atque totus apparatus antiphlogisticus adhibendus. Rarissime autem haec species in quinta partus periodo evenit, et si accidit, aut natura ipsa tollitur, aut facile transitum ad passivam facit. Adhibenda sunt autem hoc in sanguinis profluvio interne nitrum, laxantia salina, potus frigidus et, si iam longius duravit et in eo est, ut in passivam transiat, acida vègetabilia, acida mineralia diluta, quibuscum, si aliquid spastici adest, magna cum utilitate antispasmodica, aquam laurocerasi, opium coniungimus, atque externe epithemata calida. Medicamina localia autem raro sunt in usum provocanda, quia facile inflammationem adducunt.

Metrorrhagia passiva.

Hac in conditione medicamina interna non multum valent. et magis ad debilitatem, quae tam facile oritur, ad symptomata comitantia lenienda atque ad sequelas cavendas adhibentur. Eo magis autem remedia externa atque localia auxilium nobis afferunt. Primum autem, si possumus, causae sunt removendae, atque cum hac indicatione causali simul ea in morbum est unienda. Quem ad finem autem cum frictionibus abdominis inunctiones spirituosae magno cum successu iunguntur, et compressio abdominis, fomitationes frigidae, instillatio aetheris sulphurici adhibentur; si autem magnum adest periculum, irritationem uteri internam manu cum compressione simul externe facta bono cum eventu in usum provocamus. Atque secundum Le Roux aliosque plurimum hoc in casu valet pessarium ex linteo contorto paratum atque aceto impraegnatum in cavitatem uteri introductum quocum autem ad haemorrhagiam internam cavendam semper compressio externa est coniungenda. Interne adstringentia, praecipue autem acida mineralia, naphthae, tinctura cinnamomi atque secale cornutum sunt adhibenda, quibus medicaminibus simul quoque recidivam atque sequelas avertimus.

Metrorrhagia interna.

Primum sanguis, et si fortasse alia corpora aliena adhuc in cavitate uteri adsunt, haec sunt removenda; uteri contractione spasmodica autem praesente, opium uteraque remedia antispasmodica adhibeantur et tunc medicamenta contra haemorrhagiam passivam commendata in usum sunt provocanda.

Debilitas atque cetera symptomata, quae post haemorrhagias remanent, secundum praecepta supra laudata, sunt tollenda, si vero sequuntur alii morbi, secundum eorum conditiones curentur necesse est.

VITA.

Ego Nicolaus Kesselkaul, catholicae confessioni addictus, natus sum Aquisgrani die nono mens. Decemb. anni MDCCCXII, parentibus Iosepho Kesselkaul, quem inter vivos adhuc veneror, atque Theresia e gente Iansen, quam ante quatuor annos morte iam abreptam lugeo.

Primis litterarum rudimentis in scholis elementariis imbutus, Gymnasium Aquisgranense per septem annos frequentavi. Deinde testimonio maturitatis instructus almam literarum Universitatem, Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petii, ibique a Rectore t. t. Magnifico beato Diesterweg inter cives academicos receptus apud spectatissimum t. t. facultatis medicae Decanum cl. Nasse nomen professus sum.

Praelectiones, quas per quatuor et dimidium annum frequentavi hae sunt:

Philosophicae: Logica et psychologia apud cl. van Calker, Physica experimentalis apud cl. beat. a Münchow; Zoologia apud cl. Goldfuss; botanice generalis apud cl. Treviranus; Mineralogia apud cl. Noeggerath; Chemia experimentalis apud cl. G. Bischof; Zoochemia apud cl. Bergemann.

Ex medicorum ordine mihi praeceptores fuere: De encyclopaedia ac methodologia medicinae, de physiologia, de pathologia et semiotice generali cl. Müller; de anatomia

generali et speciali cl. Mayer et cl. Weber, qui simul duces mihi fuerunt in cadaveribus dissecandis; de anatomia comparata cerebri cl. Mayer; de anatomia comparata cl. Weber; de materia medica cl. Harless; de pathologia speciali cum anatomia pathologica coniuncta, de semiotice speciali, de morbis syphiliticis cl. Albers. De chirurgia, de operationibus chirurgicis, de fasciis rite applicandis, de oculorum morbis atque de anatomia chirurgica cl. Wutzer; de fracturis et luxationibus, de instrumentis chirurgicis cl. H. Nasse. De mulierum morbis cl. Naumann; de arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de infantum mulierumque morbis cl. Kilian. De therapia generali et speciali, de anthropologia, de physiologia atque pathologia cerebri cl. Frid. Nasse. De pharmacologia, de formulis medicis rite praescribendis, de medicina forensi et de epizotiis cl. Ern. Bischoff.

In practicis exercitationibus mihi duces fuere: In clinico propaedeutico cl. F. et H. Nasse, in clinico therapeutico cl. Fr. Nasse, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. Wutzer, qui etiam in operationibus in cadavere institutis mihi fuit moderator, in clinico obstetricio et in exercitationibus in phantomate instituendis cl. Kilian.

Per annum in septima equitum cohorte duce cl. Kallmann chirurgi militaris voluntarii munere functus sum.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis maximas, quas possum, ago gratias, semperque habebo.

THESES.

1. *Natura magistra medici, medicus minister naturae.*
2. *Generatio aequivoca negari nequit.*
3. *Sanguinis coagulati suggillatio neutiquam certum praebet argumentum neque in neonatis, neque in adultis laesionem in vita contegisse.*
4. *In curandis ulceribus ad dyscrasiam maxime respiciendum est.*
5. *Orrhymenitiden non esse.*
6. *Ad fistulam ani sanandam ligatura ceteris operationis methodis praeferenda est.*
7. *Methodus activa in remansione placentae exspectanti praeferenda est.*
8. *Vivum foetum perforare licet.*
9. *Synchondrotomia omnino reiicienda.*